FRANC. ERN. BRUCKMANNI, MED. DOCT. ACAD. CÆSAR. NAT. CUR. ET SOC. REG. PRUSS. SCIENT…

Franz Ernst Bruckmann

Digitized by Google

FR. ERNESTI BRVCKMANNI,

PHILOS. ET MED. DOCT. ACAD. CÆSAR. LEOPOLDINO-CAROLINÆ NAT. CVR. ET SOC. REG. SCIENT. PRVSS. COLLEG. ET POLIATRI WOLFFENB.

EPISTOLA ITINERARIA LVI.

SISTENS

CATALOGVM FOSSILIVM FIGVRATORVM GVELPHERBYTENSIVM,

AD

EXCELLENTISSIMVM, PRÆNOBILISSIMVM ATQVE DOCTISSIMVM

DOMINVM,

DOMINVM

KILIANVM STOBÆVM, D.

ARCHIATRVM REGIVM SVEDICVM ORDINAR. HISTORIAR. P. P. ET O. FACVLTAT. PHILOSOPH. DECANVM SPECTAB. NEC NON SOC. REG. LIT. ET SCIENT. VPSAL. SODAL. MERITISS. DIGNISSIMVM,

MISSA.

CVM FIG. ÆNEIS.

WOLFFENB. MDCCXXXVII.

Digitized by Google

VIRO EXCELLENTISSIMO ATQVE DOCTISSIMO,

KILIANO STOBÆO

S. D. P.

BRVCKMANNVS, D.

Munuſculum *Tuum, Vir Excellentiſſime*, chartaceum, Hiſtoriam nempe naturalem Dendritæ, & ſpecimen perdocte elaboratum de Nummulo Brattensburgenſi, ſingulari illo in Scania foſſili, librario noſtro in *Tui* memoriam traditum, ſex abhinc menſibus ſatis commode nactus ſum, grates quoque pro iſto ſummas, quas poſſum & quas debeo, *Tibi* retribuo. Cumque non ignorem, *Te* foſſilium curioſorum peculiarem eſſe admiratorem juxta ac ſcrutatorem; ſpes mihi firma ſtat, *Te* non ægre hanc naturalium petrifactorum & figuratorum corporum, ex terris Wolffenbüttelenſibus erutorum, deſignationem, licet perbrevem, laturum. Hæc Ducatus Brunſuicenſis regio præ reliquis ſatis iſtis abundat. *Mons Eyſel* ſive *Oeſel* dictus, ad pagum *Neuendorff* ſitus, una cum dimidia hora Wolffenbuttela diſtans, offert conchas, a nemine, quantum ſcio, hactenus deſcriptas & delineatas, bivalves, læves, quaſi cordiformes, Hertzförmige Muſcheln, ſeu Caſſioides, caſſidis formam referentes, ſeu nucleos absque teſta, vel potius conchulas Venereas albas majores, minores & minimas, unica ſaltim ſtria notatas, vel Bucarditæ forſan ſpecies. Reperiuntur, ſeptentrio-
Fig. I. II. III. nem verſus, in lapidicina poſteriori, in colliculo quodam ſiniſtrorſum ad planum iſtius inclinatum. Quando curioſus quidam ligonibus humum exhaurit, iſta dicta petrifacta ſtatim in oculos incurrunt, in matrice æque ac extra matricem ſoluta & libera; comitantur interdum a turbinitis, ſed quod ad apicem detruncatis, & horum fragmentis. Ad hujus collis lævam & aliæ concharum ſpecies, v. g. Muſculitæ, proſtant, & aliquando nobis obviam facta eſt perpulchra matrix conchæ anomiæ lævis,

elegan-

Digitized by Google

elegantibus emblematibus picta, cujus vero nucleum, omni ſtudio adhibito, nullo modo invenire potui; certe alias ſpecimen rariſſimum, imo extraordinarium, fuiſſet. Nominati nuclei ſ. conchulæ Venereæ in ſtrato argillaceo & ſaxo arenario molli, quaſi argillaceo, *im lettigten Sandſtein*, ſitum ſuum habent naturalem & natalem. Reperiuntur quoque ferme in omnibus dicti montis, juxta ac montis Aſſe nominati, lapidicinis, ſed rarius; copioſius vero ad dictum parvum colliculum. Hanc concharum venerearum ſpeciem & Anno 1725. ex foſſa quadam calcaria Regio-Lotharienſi, non procul a fronte ſaluberrimo *Lutterbrun* nominato, impetravi. In *monte Oeſolio*, qui totus, quod ad arbores & fruticeta, nudus eſt, & dimidia ſaltim hora, meridiem verſus, a monte Aſſe remotus, quatuor præcipue latomiæ numerantur 1) lapidicina rubra, ex qua lapides rubros vectibus ferreis petunt; pertinet ad pagum proximum *Lüttgen denckte.* Hæc & variæ magnitudinis ac coloris rubri Oolithos & Piſolithos rotundos, ſolutos & ſingulos, imo in unam maſſam concretos, præbet. 2) Ad eundem montem adhuc plures ſunt, quæ partim ad Dominum territorii, nempe Nobilem in Neuendorff, partim vero ad ruſticos & ſubditos pertinent. 3) Quæ in agro, ad & circa montem ſito, proſtant, unice iſtis ruſticis, in quorum campis aperiuntur, propriæ ſunt; coluntur modo tamdiu, quamdiu nempe iſta gens lapidibus opus habet, poſt iterum clauduntur, & ager exoſſatus, qui modo ante lapidicina fuit, vomere ſulcatus fruges lætiſſimas profert. Hic ſaltim Oolithi, data occaſione, quando latomiæ ſunt apertæ, interdum, non ſemper, colligendi. 4) Incolæ pagi Neuendorff etiam ad montem, meridiem verſus, lapidum rubrorum latomias poſſident, ſed non multum æſtimant, cum ſaxa aërem non bene poſſint perferre, ſed ab hoc facile mutentur, fragilia & friabilia fiant, nec durabilia exiſtant. Interim in his & Oolithorum familia glomerata & ingens obſervatur.

In lapidicinis montis Oeſelii ad pagum Neuen-

dorff (quarum plurimæ olim cultæ, quæ ex ruinis & altis hinc inde relictis foſſis judicandæ, nunc deſertæ & incultæ jacent, binæ ſaltim adhuc in uſu ſunt, ſequentia figurata invenire nobis licuit (1) confuſum chaos variarum concharum & cochlearum in lapide firmo & duro in certis ſtratis in lapidicina quadam calcaria obvium, quod lapidis genus, ſi diu ſine ullo tecto aëri & tempeſtatibus expoſitum relictum fuerit, item quando politura, quam non æque optimam, propter ſcabritiem, admittit, lævigatum, figuras rudes frumenti, hominum, animalium, avium, florum & ſimilium corporum, ſed haud diſtinctas, offert. Dictum ſaxum, me judice, nihil aliud eſt, quam confluxus variorum conchyliorum, horumque fragmentorum, petrifactorum & cancellatim, decuſſatim, transverſe, imo ad omnem ſitum varie compactorum irregularis & confuſaneus, ex qua ſumme perturbata, dum omnia diluvii tumultu mixta, ſerie iſta ſimulacra, ad quæ & cognoſcenda & explicanda fortis certe imaginatio plurimum contribuere debet, oriuntur. Neſcimus, interim dubitamus, quin forſan jam ad portum Suedicum & *Tuas* manus pervenerit Rect. Ohrdruff. celeber. Domini Gleichmanni prebrevis Diſſ. de Papatu a natura deteſtato, quæ Anno 1735. in duobus foliis, a plicatura octava nomen habentibus, typis edita. Occaſionem huic ſcriptulo conchites quidam, peculiariter a natura figuratus, dedit, qui Papam Johannem cum infantulo ſuo delicto, quem ipſa ante Petri portas partu excluſit; virginem monialem, piſcinam cum piſcibus, & cetera, exhibere putatur. Signaturam iſtius nuper ab amico quodam acceptam, nunc tabulæ æneæ impreſſam, Tecum, ſimul cum ſchedula iſta Dom. Gleichmanni, ad perlegendum, communicamus, & denotat lit. a. piſcinam cum piſcibus. b. virginem veſtalem. c. perſonam habitu epiſcopali & infulas. d. monſtrum marinum. Peramans noſtri, qui imagunculam tradidit, ſub iſta notaverat: Riſum teneatis amici! **Fig. IV.**

De

DE PAPATV
A
NATVRA DETESTATO,
QVÆDAM BREVITER
DISSERIT
JOH. ZACHAR. GLEICHMANN.

Anno MDCCXXXV.

Benevole Lector!

„Cum die IX. Aug. anni hujus MDCCXXXV. extra „civitatis portas ambularem, in locum incidi, in „quo *lapides aliquos figuratos* reperiebam. Erant inter il„los potiſſimum *Cornua* quædam *Ammonis & parvi rotundi* „*lapides*, figuram *nummulorum* præferentes, quos vulgo „*Bonifacien*-Pfennige vocant. Inprimis autem *lapis figu*„*ratus* ad manus meas perveniebat, in quo conſpicitur „*ſylva* cum *lacu* & piſcibus. Fere in medio clare appa„ret *monialis* quædam (eine Nonne) & infra ſedet perſo„na, habitu *epiſcopali* & in capite *infula*, ſive *mitra epi*„*ſcopali* ornata, & in ulnis infantulum geſtans. Circum„datur hæc figura *monſtro quodam*, magnas denſasque au„res, taleque caput præ ſe ferens. Contemplanti mihi „*has figuras* in mentem incidit *Johanna Papiſſa*, deque „iis non aliter judicare potui, quam quod *natura* per e„jusmodi *imagines* voluerit hanc *abominationem* deteſtari. „In hac ego ſententia magis magisque confirmatus ſum, „cum mihi in mentem veniret, in *mari* quoque *monſtra* „reperiri, quæ *epiſcopos* & *monachos marinos* appellant. „Ego ipſe poſſideo *rarum libellum*, cum multis *figuris*, „Anno 1569. impreſſum, ſub titulo: diverſi noſtræ æta„tis habitus. Auctor in verſibus ab initio poſitis, ſe no„minavit: Jacobum Sluperium Herzelenſem. Inter *figu*„*ras*, in hoc libello contentas, fol. 48. reperitur *imago hor*„*renda* & *valde monſtroſa*, quæ *Epiſcopum marinum* repræ„ſentat, additis his verſibus:

EPISCOPVS MARINVS.

„Miranda vaſtus *monſtra* pontus continet,

Digitized by Google

„Quæ ſi refere quis velit per *ſymbola*
„Vt vera, nunquid ille nugivendulus
„Narrare *veras crederetur fabulas?*
„Sed hanc *puſillam* non queas imaginem
„Quæ ſic in *iſtac pagina* deſcribitur
„*Negare veram.* Non vides *Epiſcopum*
„*Mitra ſtupendum, qui marinus piſcis eſt?*

„Porro fol. 105. invenitur *figura non minus monſtroſa*, quæ „*monachum marinum non ſine horrore* ſiſtit, hiſce verſibus „adjectis:

MONACHVS MARINVS.

„Fœcundum variis piſcibus æquor
„Exultat, veluti floribus arva.
„Quos nobis varios gignit in uſus,
„Optatasque dapes, lautaque fercla.
„Hic *miris* etiam *monſtra figuris*
„Enutrit, veluti *hæc pagina* monſtrat.
„An non, ut *Monachus, vertice raſo*
„*Hic piſcis tibi ſtat, fertque cucullum.*

„Quis igitur negabit: *Ipſam naturam* per *ejusmodi figuras* „*papatum deteſtari.* Forte alio tempore de *hac materia* fuſius „agam, *& figuras haſce, æri inciſas*, apponam. Interim, „benevole lector, vale! Dabam e Muſeo, in urbe Ohr„druff, die XVIII. Aug. Anno MDCCXXXV.

Confer. de hoc lapide die Thüringiſche Nachrichten von gelehrten Sachen ad annum 1735. Num. XXVI. p. 280. Convenit cum figura quadam in Schüttei Oryctographia Jenenſi luſtranda. In hoc Ducatu reperitur quoque in Monte Aſſe, & vulgus iſtum: den Blumen-Stein, quia flores in iſto figuratos vult videre l. ſaltim ſibi imaginatur, nominat. Ab aliis ob ſignaturam vocatur *Conchites frondium Gollicorum ad inſtar figuratus*, Muſchel-Stein, ſo auswendig gleichſam wie *Marſeille*-Arbeit *figurirt;* aliis iterum audit *lapis frumentarius*, a ſignatura, quæ varia frumentorum ſemina & grana ſimulat. Adſunt, præter dictum conchiten 2) variæ *conchæ* lapideæ, anomiæ, eximiæ & magnæ, in- & extra matricem, cinereæ & violaceæ; concha rariſ-

ſima

Digitized by Google

ſima binis ſtriis prædita in lapide arenoſo; conch. anomia lævis extra matricem, coloris gryſei; conchulæ minimæ; conch. elegans extra mat. ſalva teſta naturali rubicunda; congeries earundem in matrice. 3) *Oſtrea* petrifacta rugoſa, ſtriis & aculeis obſita; 4) *Pecten* coloris rubelli, nitide ſplendens. 5) *Cochlites* minor. 6) Bucardites ſingularis formæ, ab eodem loco ex latomia Neuendorpienſi, minimus. 7) *Encrinus* cum ſuo pediculo in- & extra matric. cinereus & albus, decem radiorum; idem viginti radiorum albiſſimus; matrix Encrini rariſſima in lapide arenoſo; Encrinus per medium fractus ochra ferrea brunna refertus; id. cavus, pro cognoſcenda ſtructura interna, pluviæ enim & tempeſtates interiora ſub dio elavarunt; id. cavus &, quod ad interiorem ſuperficiem, totus cryſtallulis ſplendentibus & ſeleniticis obſitus. Fragmentum pediculi ſ. petioli ab Encrino; magma lapideum Encrinis & Trochitis ferax; adhuc aliud, Encrini apice & trochitis entrogisque ornatum. 8) Trochitæ cinerei communes; plani; coloris flavi, it. violacei; it. ex nigro cœrulei. Trochitæ lonchitudinalis; orbiculares; ventricoſi; dolioli inſtar fabricati; ſphærulares; admodum tenues inſtar chartæ ſ. papyracei; radiati a peripheria ad centrum; dentati; monſtroſi; minimi, alias nomine *Speculatiſ*-Guths cogniti. *Aſteria* figura roſarum; *Trochites ſtellaris* ſ. Aſteria proprie dicta. Entrochorum varia ſpecimina; congeries trochitarum curioſæ; maſſæ eorundem curioſiſſimæ; Moles eorundem exeſorum curioſiſſ. 9) *Muſculitæ* curvatæ in- & extra lapidem gryſeum. 10) *Dendrites* minimis in lapide flaveſcente, it. in lapide fiſſili ex albo-cœruleo; it. duplicatus in lapide gryſeo. 11) *Piſolithus* ex albo cinereus Neuendorpienſis; maximus mixtus; ex nigro-cinereus; rubeus; brunnus; cinereus &c.

In montibus *Aſſe* dictis, in quibus hodierno die ſatis firma rudera caſtelli fortiſſimi Aſſeburg demoliti videnda, nemoroſis, ſequentes lapidicinæ ſunt: 1) Ducis l. dominorum latomia, des Herzogs oder der Herrn

Digitized by Google

Herrn Bruth, meridiem verſus ad montis declinationem in ſylva. Olim majores in locis multis, qui nunc plane derelicti & obruti, cum venæ boni lapidis ceſſaverint, ſaxa effoderunt. Supra dicta, quam in hodiernum uſque diem colunt, reliquarum eſt maxima; & præter hanc iſta, ex qua lapides rubros extrahunt, in qua & colithi inveniendi. 2) Iſtarum, quæ ad incolas pagi groſſen Denckte pertinent, plures ſunt, Orientem verſus, poſt montem vulpis, hinter den Foßberg. 3) Eſt communis ruſticis pagi Witmers, in meridiem ſpectat & ſita eſt in montis calvitio. 4) Latomia pagi Römmeling in monte inclivi. 5) Lapidicina gypſea, Orientem ſpectat, non procul a priori, æque pertinet ad pagum Römling. Sextam ruſtici pagi groſſen Fahlberg poſſident. In his, & aliis deſertis, nominati montis lapidicinis occurrunt 1) *pectinitarum* maſſæ elegantes, variæ magnitudinis, imo omnes concharum & cochlearum petrifactarum ſpecies, jam ſupra in monte Oeſelio a nobis fuſius exhibitæ, præterea inveniuntur 2) *Trochitæ* cinerei communes; papillares; plani majores; ab utroque latere prominentes, in medio autem depreſſi. 3) *Encrini* majores in- & extra matricem, horumque fragmenta & matrices. 4) *Conchæ rubellæ*, it. ſupra laudatum confuſum chaos plurimarum concharum, quod vulgo Blumen-Stein appellant. 5) Lapis rariſſimus eſt iſte, in quo turio Aſparagi vel Equiſeti petrifactus cernitur, ab amico quodam duodecim ab hinc annis repertus. 6) Varia oſſa in ſaxum mutata, coloris brunni. In fodina Alabaſtrina Römlingenſi ad pagum Groß-Fahlberg interdum glacies Mariæ, Frauen-Glaß, occurrit. Oolithi optimi in lapidicinis poſt domum venatoriam; & Dendritæ nigricantes in lapidibus rubris & ex cinereo-cœruleſcentibus, inter quos iſti in cinereis multo diſtinctiores ſunt illis, qui in rubris ſpectantur, in fodina rubra Römlingenſium poſt dictam venatorium domum in monte Aſſe inveniuntur. Porro in *lapidicina ducali rubra*, dem rothen Hertzogs-Bruch, ſpecies Oolithorum

Digitized by Google

thorum ſpecioſorum elegantes, ſtatim in parvas laminas ſolutæ, ſub cæſpite depromuntur, tanta copia, quanta ſufficeret ad unica hora totum currum iſtis replendum.

Circa montem *Fallſtein* leguntur Chamæ ſtriatæ, una cum matrice, pulcherrimæ, e collibus, vicinis *Heſſen;* Trochitæ plani depreſſi & margine donati; it. plani ſine margine; lapis cinereus durus conchis bivalvibus elegantiſſime obſitus; idem, quas inter cochleæ longiori apice ſæpe adſunt. Strombites elegantiſſimus in lapide, cui muſculi varii circumjacent; Conchites alius ejusdem loci; idem multivarius. Dendrites differens.

In monte *Kaltenthal*, prope *Heſſen*, Entrochites cum & ſine conchis, it. trochites ſtellaris occurrit.

In agro prope caſtellum Ducale *Heidwiegsburg*, unius lapidis intervallo Wolffenbüttela diſtans, reperiuntur conchulæ anomiæ bivalves ſtriatæ in ſaxo corneo; Dendritæ in lapide calcario albo; Echinitæ candidi, compreſſi, cordiformes in eodem lapide; it. pyrites ferreus durus & in terram brunnam ochraceam reſolutus. Ex fodina terræ argilloſæ, ex qua lateres formant & coquunt, Belemnitæ cornei majores & minores, partim aliquo modo diaphani, copioſe extrahuntur. Quando laterarii argillam pedibus calcant & pro tegulis formant, iſtos dactylos ſtudioſe eligunt, qui alias inter coquendum lateres, in quibus caſu tecte latent, diſrumpunt. Belemnitæ autem ipſi ignis flammis in calcem & pulverem albiſſimum abeunt & commutantur.

Ad pagum Lüttgenflöthe colligitur Dendrites; it. Echinites in luto gryſeo, & lapide albo calcario, cum & ſive matrice; muſculites absque teſta in eodem luto gryſeo, nec non conchæ aliæ incognitæ. It. Chamæ lævis ſpecies, rugis transverſalibus in lapide calcario albiſſimo.

In ſylva amœna viridique *Leggeln* Dendritæ & pſeudo-aſteriæ nigricantes lapidi calcario albo inſperſæ;

Pſeudo-Aſtroites in lapillis dilute rubicundis, nec non gryſeis. Ad dictam ſylvam prope *munimentum Cæſareum* bey der Kayſer-Schantze æque Dendrites elegans & Echinites e lapide exſcinduntur.

In *munimento albo*, quod ex lapidibus albis, qui nomen iſti quoque dederunt, tempore belli ex lapidicina calcaria ad urbis munimenta proxima deſumtis exſtructum fuit, ſed hoc noſtro ævo majorem in partem ex omni latere plurimum proculcatum & ſubverſum, dicto, iidem figurati calculi, ac in fodina modo nominata ipſa, leguntur, nempe *Dendritæ* nigricantes, pſeudo-aſtroitæ fuliginei elegantiſſimi. Laudatus lapis calcarius eſt quaſi cretaceus, &, inſtar cretæ, ſecabilis. Vidimus Dendritem perelegantem ignem artificialem mentientem, nec non lacertæ caudam petrifactam, exemplarium certe ſine pari, quod reverentiſſ. verbi divini miniſter apud Vechteldenſem congregationem vigilantiſſ. Dom. Vœlſchen in muſeo ſuo poſſidet. In dicto munimento die weiſſe Schantze præterea quoque colliguntur conchæ bivalves elegantiſſimæ anomiæ parvæ & læves, partim pellucidæ, partim cavæ & cryſtallulis refertæ, in deſcripto calcario & cretaceo albo lapide; it. ejusdem farinæ in teſta naturali flaveſcentes; ſunt quædam inter has vix Milii ſemen magnitudine referentes; omnium maximæ ad nucem Avellanam mediocrem accedunt. Porro conchulæ anomiæ ſtriatæ. *Echinitæ* cordiformes, plerumque, quod ad teſtam, confracti, cretacei in lapide nominato albicante, in- & extra matricem. Conchæ majores, e familia Oſtrearum, rugoſæ, diverſæ tamen figuræ, cum & ſine teſta dura & craſſa; inter has occurrunt interdum quædam quadrantem ulnæ longitudine exſuperantes, partim ſimplices, partim duplices, partim alatæ, ſed hæ ſunt rariſſimæ.

Prope *Linden*, (eſt pagus) lapilli albidi & flavi, variæ figuræ, reddunt Aſtroiten ſpurium Occidentalem ſeu rectius Pſeudo-Aſtroiten nigricantem, qui

Digitized by Google

& in lapide albicante ad ſuburbium Wolffenbüttelenſe, *Gotteslager* dictum, colligendus. Hic loci & Echinites, quem vulgus Stein-Apffel vel Stein-Nuß appellat, eruitur.

In *Tiedenſi* monte Gypſi lapis optimus, ſpathum, Glacies Mariæ & piſolitus rubeus foditur. Sub finem ſuperioris ſeculi & integrum Elephanti ſceleton, ex quo ingens os femoris & duos dentes molares aliquot librarum in noſtra rerum naturalium collectione conſervamus, hic loci e terra erutum fuit. Et hæc ſunt præcipua figurata, quæ curioſus in his regionibus offendere poterit.

Non ſatis certe mirandæ, imo & præcipue peculiares ac ſingulares circumſtantiæ inquirendæ, exque his inquiſitis probabiliores rationes phyſicæ enucleandæ, nempe quare 1) utpl. in uno loco, uno ſtrato nec non uniformi ſaxo, unius ſaltim generis conchylia marina, hic petrifacta, illic calcinata, v. g. conchæ anomiæ, ſtriatæ, Chamæ læves, ſtriatæ, pectines in lapidibus calcariis? Bucarditæ & Cornua Am. in lapid. agrariis? Echinitæ cordiformes in ſtratis cretaceis, calcareis, arenaceis, corneis & argillaceis? Echinitæ pileati in ſaxis duris corneis? Encrini e familia ſtellarum marinarum cum Trochitis in duriſſimis & ſolidiſſimis rupibus? Trochitæ juxta ac Belemnitæ in lapidibus agrariis, in Feld-Steinen? piſces, cancri & alia animalia marina in ſaxis ſciſſilibus? Ichthyolithi albi, cum carne & ſpinis tantum, in ſtratis calcario-marmoreis? pyritoſi vero & marcaſitacei, cum ſquamis tantum ſplendentibus, ſine ullo carnis & ſpinarum veſtigio, nunquam non in lapide fiſſili nigro? fruſtra & fragmenta ſaxi cornei in arena, creta, argilla & inter lapides campeſtres? & ſic porro; & quidem omnia regulariter compoſita, tantum compareant? 2) cur in ragione quadam, quæ ab alia plaga dimidia hora vix ſæpe remota eſt, iterum aliud genus petrifactorum in apricum veniat? & quidem non ſine ordine


Digitized by Google

ordine diſpoſitum, cum tamen! aqua violenter rapida cataclyſmi iſtius magni & univerſalis ſumma imis, ſine dubio, undique locorum miſcuerit; ſic, exempli loco, in noſtro tractu adducam Encrinum, qui unice in montoſis editis & locis clivoſis, nunquam in depreſſis planisque, reperitur; contra planities inferiores, nec elevatæ, echinitas, oſtracitas & alia hujus generis foſſilia plurima offerunt, quæ in excelſis incaſſum quæruntur, cum tamen hæc loca ſibi invicem ſint vicina, nec dimidia hora l. horula interdum a ſe diſtent, interim nulla ex prioribus hic, nec ex poſterioribus ulla ibi conſpicua, ſed omnia regulariter in certis & peculiaribus ſuis venis & ſtratis optime collocata. Cur non etiam Encrinus, ut oceani animalculum, inter Echinitas in fodinis calcariis & cretaceis, & hi inter Encrinos in ſaxis firmiſſimis & ſolidiſſimis, verſentur? præprimis cum omnes & ſingulæ globi terraquei creaturæ, cum ordinis neglectu confuſiſſime peſſum iverint? Cur inter animalium marinorum familias nec piſces ſaxa ſolidiora intraverint, ſed tantum lapides fiſſiles pro domicilio ſibi elegerint? 4) cur nunc omnia tam diſpoſite ordinata? nec non cuncta locum ſuum proprium, in peculiaribus terræ & montium ſtratis, obſervent? cum tamen nulla non corpora, in aquis diluvii univerſalis certatim rapacibus, cum horrifico tumultu & ſtrage magna inaudita, infra & ſupra ex ſedibus ſuis naturalibus violenter dimota, & ſumme conturbata. Sic quidem hæc omnia, jam ante fatale diluvium, a Deo T. O. M. ita, ut metalla & mineralium claſſis in ſuis venis ſubterraneis, creata & in certa loca & ſtrata diſpoſite collocata viderentur? ſed, quid tunc dicendum de Elephanti, Ceti &c. oſſibus? Melius hinc eſt & erit, iſta in Jehovæ honorem & laudem potius & unice mirari, quam ſcrupuloſiſſime ſcrutari & anxie rimari. Eruditorum dicta de his & ſimilibus ſunt & manent conjecturæ dubiæ, infinitis contradictionibus inſuper expoſitæ. Nodus Gordius inenodabilis æternum, ut credo, ſupererit. Vale, *Vir Honoratiſſime*, diuque lætus interſis & ſanus populo Suecorum & publico Academiæ bono, nec non toti litterato orbi, cui natus es. Me *Te* colentem ſerio & amantem, ut redames unice voveo. Vale iterum, &, ſi occupationes *Tua* horulam concedunt, reſcribe. Dabam Lycopol. d. 4. April. 1737.

92 548254

Digitized by Google

Ad Ep: It: LVI.



Digitized by Google